

WALAFRIDUS STRABUS

FULDENSIS MONACHUS.

NOTITIA HISTORICA IN WALAFRIDUM STRABUM.

(Fabric., Bibl. med. et inf. Lat.)

WALAFRIDUS STRABUS vel **STRABO**, a vito oculorum ita dictus. De patria ejus eruditæ certant. Balæus Centur. xiii, 9; et Pilseus, c. 142, Anglo-saxonem statuunt, Venerabilis Bedæ vel fratrem, vel consanguineum, atque ita Haymonius fratrem germanum. Addunt illum primum Londini, dein Fuldæ monachum, Alcuino quoque præceptore usum fuisse. Verum neque res ipsa neque tempora convenient. Si enim Walafridus anno 750 obiit, in monasterio Fuldensi educari non potuit. Melius igitur Sigebertus Gemblacensis cum Trithemio et aliis Germanum faciunt; Suevus enim fuit (a) quamvis locus patrius detegi adhuc nequeat. Educatus autem primum fuit in monasterio S. Galli, prout docet Ermenicus monachus Augiensis in libro de Grammatica, quem exhibent *Analecta Mabilloniana*, p. 421, ubi auctor Grimoldum sic alloquitur, cum prius de aliis viris claris in illo monasterio instructis locutus fuisse: « Domnus Walhafredus tibi notissimus, quem etiam tu ipse ut peritus cathegeta peritum sophistam enutristi. » Imo (b) ipse, teste Goldasto, (b) alicubi scribit, se in monasterio S. Galli scholas frequentasse, sed locum investigare nondum potui. Inde ad monasterium Fuldense pervenit, et Rabanum Maurum præceptorem habuit. Primum autem fuit decanus coropii S. Galli, deinde anno 842 abbas Augiæ divitis (*Reichenau*) in diœcesi Constantiensi, mortem obiit anno 849, et quidem in Gallia, quo ad expediendum aliquod negotium missus fuerat. Trithemius ipsum rectorem scholarum in monasterio Hirsfeldensi fuisse tradit. Adde Bulleum in *Historia Universitatis Parisinæ*, tom. I, p. 446, 447.

Ex scriptis ejus supersunt sequentia:

1. *De officiis divinis sive de Exordiis et Incrementis rerum ecclesiasticarum*. Pilseus male duos ex hoc libro facit. Exstat in Collectione Joan. Cochlæi, quæ inscribitur: Speculum antiquæ devotionis circa missam, num. 2, in Collectione Melchioris Hittorpi de catholicæ Ecclesiae divinis officiis ac ministeriis, n. 7, nec non in Bibliotheca Patrum.

2. *De Vita B. Galli confessoris* libri II. Habentur apud Surium die 16 octobr., in Scriptoribus rerum Alemannicarum Goldasti, tom. I, part. II, p. 142, apud Mabillonum Sæc. II Benedictino, p. 227.

3. *De Vita S. Othmari abbatis*: apud Surium die 16 nov.; Goldastum, p. 177, et Mabillonum Sæc. III Benedict., parte II, p. 153.

4. *Vita S. Blaitmaici abbatis Hiiensis et martyris*: apud Canisium Antiq. Lect. tom. VI, edit. novæ tom. II, parte II, p. 201; in Actis sanctorum, tom. II Jan., p. 236; in Bibl. PP. maxima, tom. XV, p. 210;

(a) Sic ipse Walafridus in præfatione libri I de Vita B. Galli: « Inveni terram, quam nos Alamanni, vel Suevi incolimus, Altianiam sapient nominari. »

(b) Vide Prolegomena de auctoriis ad Scriptorum Alemannicorum tom. I, part. II. Pluribus vero

A in Actis SS. ord. Benedictini, l. c., p. 459; in Joan. Colgani Actis SS. Hibernæ, tom. I, p. 128

5. *Vita S. Mamme sive Mamantis monachi*: Canisius, p. 184; Bibl. PP., p. 205.

6. *Vita S. Leodegarii*: Canisius, p. 210.

7. *De visionibus S. Wettini*: Canisius, p. 204; Bibl. PP. max., p. 212; Mabillonus Sæc. IV Bened., parte I, p. 272.

8. *Hortulus*, quem Joan. Atrocianus sub *Strabi Galli* nomine edidit; fortasse scriptum fuerat, *Strabi decani S. Galli hortulus*, quod non recte assecuti sunt. Prodiit autem primum Norib. apud Joan. Weyssenburgerum 1512, 4. Porro dedit eum Joan. Atrocianus ad calcem *Æmilii Macri* de herbarum Virtutibus, Friburgi Brisgoïæ 1530, 8. Editus etiam est cum Eobano Hess de tuenda valetudine Frf. 1564-1571, 8°. Venetiis apud Aldum 1547, cum medicis antiquis, p. 247. Basil. 1627, 8°. Inserta deinde Bibliothecis Patrum Colonensi et Lugdunensi, a Canisio tom. VI, p. 672. Exstat in Asse veterum de re herbaria per Andr. Rivinum Lips. 1655, 8°. Dedicatoriam ad Grimoaldum abbatem primus dedit Canisius. Quedam illius emaculavit et illustravit Barthius Adv. IV, 24, qui et dedicationem suo loco repondendam esse monuit. Codicem ejus manu exaratum in incendo bibliothecæ sua amissum deplorat Bartholinus, p. 89, 9°. Ut obiter hoc addamus, hic Strabo a Macro de viribus herbarum allegatur, cap. 25, 19, 25, unde de ætate hujus conjectura capi poterit. Balaesus notat Walafridum nostrum poema, quod *Hortulum Puerorum* vocavit, ad Grimoaldum abbatem S. Galli scripsisse.

9. *Sermo seu Tractatus de subversione Hierusalem*: Canisius, tom. VI, p. 331, edit. novæ, p. 275.

10. *Poemata varia*: apud Canisium, p. 537; in Bibliothecis Patrum; Baluzius Misc. IV, p. 531.

C 11. *Glossæ quoque ordinariæ*, quæ vocant, in Scripturam sacram auctorem esse, vel potius eamdem ex ore Rabani Mauri exceperisse dicunt. Ejus editiones exhibit Hist. litter. Galliæ, tom. V, p. 62.

12. *Commentarius in Novum Testamentum*, quem edidit Marcianæs tomo V Opp. Hieronymi, p. 847.

13. *Præfationem præmisit* Thegano de gestis Ludovici Pii, eumque in capita distinxit.

14. *Glossæ Latino-Barbaricae de partibus humani corporis*, rursum ex doctrina Rabani Mauri per Walafridum descriptæ: extant in Goldasti Alemannicis, tom. II, part. I, p. 64.

15. *Picture Historiarum Novi Testamenti*: habentur in Goldasti Manuali Biblico Frf. 1620, p. 85.

16. *Homilia in initium Evangelii Matthæi de Ge-*

illud docet Jodocus Metzlerus de Viris illustr. S. Galli, II, 68, quamvis non minus operose illud impugnet Joan. Egon de Viris illustribus Augiæ divitis, II, 13.

neologia Christi : edita est a Bern. Pez, Thess. noviss. Aneclot., tom. II, part. 1, p. 39.

17. *Expositio viginti primorum psalmorum* : exstat ibidem tomo IV, part. 1, p. 471.

18. *Epitome Commentariorum Rabani Mauri in Leviticum* : exstat tomo II Operum Rabani, p. 296.

19. *Itinum Anatalium Fuldensium* nostro tribuunt auctores Gallici Hist. lit. Galliae. Confer *Mém. de Trévoux*, 1742. Jan., p. 97.

Inedita ejus sunt *Liber de Vita S. Galli* sermone ligato, qui adhuc in monasterio S. Galli superesse

A dictatur, *Homiliarium, Epistolæ ad diversos, Carmen heroicum de miraculis B. Virginis*, et alia quæ narrat Mezlerus. *Chronicon de abbatibus monasterii sui* est in Bibl. Vaticana, prout testatur Bern. de Montfaucon Bibl. bibliothecarum mss., p. 74.

Vide *Trithemium, de Script. eccles.* c. 246 ; *Balaicum*, cent. xiii, 9; *Pitseum*, c. 412; *Joh. Mezlerum, de Viris illustr.* S. Galli, n. 69; *Joan. Egonem, de Viris illust.* Augiæ deditis, 1, 12; n. 13; *Lyseri Historiam poetarum mediæ ævi*, p. 235; *Hist. lit. Galliæ*, tom. V, p. 59 sq.

MONITUM EDITORIS PATROLOGIÆ IN SEQUENTEM NOVAM GLOSSÆ ORDINARIÆ RECUSIONEM.

WALAFRIDI STRABI vel **STRABONIS** Opera colligentibus prima fronte nobis occurrit *Glossa ordinaria*, cuius præcipuus auctor habetur Walafridus. Multæ fuerunt hujus *Glossæ* et in variis regionibus editiones, ab anno 1472 ad annum 1634; quarum enumerationem vide, si libet, in *Historia litteraria Galliæ*, tom. V, pag. 62. Per sex sæcula magna fuit *Glossa ordinaria* auctoritas. Paulatim tamen, annis decurrentibus, multa accesserunt addititia, quibus adeo supra modum aucta est, ut sex ingentibus, ut dicunt *in folio maximo*, voluminibus constans ad nos pervenerit, in quibus Walafridi opus vix agnoscas. Alienum porro est a proposito nostro additamenta scriptorum duodecimi, decimi tertii vel etiam quinti decimi sæculi recudere; et ideo Walafridi opus tantummodo, quale antiquiora et authentica manucripta offerunt, servandum esse censujmus. Attamen ne lectoribus abbreviatio operis tantæ per tot sæcula auctoritatis desiderio esset, hujus delineationem, quoad ad nos attinet, effinximus, et *Prolegomena editioni Duacensi* *theologorum anni 1617* præfixa recudimus, quibus discitur qualis fuerit *Glossa ordinaria* de qua hic agitur. At multa in his *Prolegomenis* a nobis edita fuerunt in variis hujusce Patrologiæ tomis. Satis ergo erit loca indicare, ne bis in idem incidamus. Pariter Bibliorum sacrorum uniuscujusque versus primæ voces tantum inducendæ sunt ad intelligenda Patrum commentaria quibus præmittuntur. Nam merito lectores nostros pigeret, si, data Walafridi operis occasione, *Biblia sacra integra* exhibuissemus.

DUACENSIMUM THEOLOGORUM IN GLOSSAM ORDINARIAM PROLEGOMENA.

(Ex editione Duacensi anni 1617.)

LECTORI CATHOLICO SALUTEM ET FELICITATEM.

Sunt nonnulli studio novellitatis nimium accensi, qui omnem hunc laborem, quem in conservandis eruditæ antiquitatis monumentis ponunt viri docti, repudiant prorsus, et abominantur, velut superstiosum, quique præclaræ ingenia ab excogitandis de novo excellentibus inventis avocet, et absterreat: dum nimirum ita fieri animadvertunt, ut nihil magnopere suspiciant homines probi, in litteris præsertim et bonis artibus, nisi quod ætate ipsa sibi conciliauerit auctoritatem. Hi tales procul dubio nos tridebunt, qui *Glossam* hanc ordinariam, et Nicolai Lirani. Postillam (nomina vel sono ipso, et flexu vocis, eorum delicatis auribus horrendum quid, et barbarum affricantia), tantis vigiliis recudere, studiosorumque manibus obtrudere satagimus. Maluissent enim novum aliquod opus et antebac inauditum, aut saltem novorum hominum commentarios ad hanc rem adaptari: quorum in hoc sæculo poly-

B grapho et polyhistore tantus est proventus, ut sint pene innumerabiles. Cæterum nos hujusmodi lectoribus placere non studuimus, minime interea dubitantes, modestis et catholicis lectoribus probatum iri hoc institutum nostrum, qui sciant et agnoscant, in cæteris quidem artibus inventa quæque etiam recentissima, suam gratiam dignitatemque præ multis veteribus invenire posse: in arcans autem divini verbi sensibus adaperiendis, et esse optimæ, quæ vetustissima; et ea optimis proxima, quæ vetustissimis sunt propinquiora, ut pote magis conjuncta parissimo veritatis fonti, ac proinde remotiona a lacunis et coeno perversorum spirituum, unde salutares et illimes aquæ Scripturarum crebro solent infici et perturbari. In antiquis enim esse sapientiam pronuntiat Sapiens, et in veteribus Ecclesiæ tractatoribus secura ponuntur sedulitatis nostræ vestigia, absque falsitatis, saltem dannosæ